CONTRA PRAEPROPERAM IN TRADENDIS PERCIPIENDISQUE LITTERIS FESTINATIONEM.

ORATIO HABITA XV KALENDAS NOVEMBRES ANNI MDCCCXXVII

IN MAJORI COLLEGIO

STI. THOMAE AQUIN.

HISPALENSI,

A P. FR. EMMANUELE MARIA SOTELO publico ibidem humanarum litterarum professore, et Regalis Academiae Latinae Matritensis Socio.

HISPALI:
APUD VIDUAM VAZQUEZII, ET SOCIUM.

Reverende admodum Pater Magister Majoris hujus collegii moderator, et Rector: Collégae venerandi, quorum alios jamdudum rude donatos, Minervae quoque laurea reddit insignes: alios vero magnum studium, multamque conferre videmus operam in juventutem ad litteras informandam: studiosi adolescentes, in quorum gratiam potissimum haec quotannis solemnitas instauratur.

Jampridem est, quum mentibus hominum falsa quaedam penitus insita opinio, ita praealtis est defixa radicibus, nulla ut unquam vi convellenda, aut labefactanda esse videatur: omnium scilicet studia disciplinarum ad tantam esse facilitatem deducta, ut brevissimo tempore, ac perexiguo labore amplissimum earum circulum, quem Graeci encyclopaediam dixerunt, summa cum laude atque utilitate percurri posse existimetur: tam praécocem in ingenii fructibus esse maturitatem, propter magnam atque expeditam librorum copiam, post typographiam inventam, tot publica ubique gymnasia, tot denique tantaque litterarum subsidia, ut nisi quis ingenio sit omnino destitutus, per-

paucis annis ac paene nullo negotio praeclaros aequè ac praematuros in omni scientiarum genere progressus facere possit. ¿Nonne haec passim dictitare, sibique et caeteris persuadere nituntur viri alioqui prudentes et non illitterati? Ita profecto. Hodierna igitur die, in qua hic quasi Minervae exercitus lustrari solet, operae me pretium facturum intelligo, si de hac opinione valde perniciosa litteris disserere paulisper contendam. Neque enim mihi tantum tribuo, ut eam me penitus tollere posse confidam; at certe hinc inde quatiendam curaverim, quo facilius alii postmodum ipsam tentantes, periculum faciant, utrum aliquanto majori nisu, atque industria radicitus evellere valeant.

Principio igitur vos mónitos velim, auditores, mihi, dum contra praeproperam in studiis festinationem in animo est velitari, non probari propterea eorum opinionem, qui adolescentes in singulis disciplinis nimio plus detinendos existimant; quandoquidem ingeniorum luxurie tanta aliquando in eas singulas subtilitatum farrágo invecta est, ut eas circumcidere, et quasi ad vivum resecare, non utile tantum; sed et necessarium quandoque videretur.

Incidunt tamen in scyllam, cupientes vitare carybdim, qui ad studiorum metam

plus aequo properantes, disciplinarum quamlibet primoribus labris degustant, vel extremis, ut dicunt, digitis attingunt; laborem, quacumque possunt ratione detrectantes; otium vero lusumque nimia cupiditate appetentes. In quos sane Horatius jam ante multos annos erat invectus, quum studiosum ita puerum depingebat:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.

Etsi vero id notius est, quam ut exemplis illustrandum esse videatur; tamen ab iis, qui facilem nobis atque expeditam discendi rationem objicint, libenter quaesiverim: ¿quî tandem fiat, ut, etiam post calcographicam artem inventam, tam pauci nihilominus reperiantur, qui non dicam encyclopaediam complecti; sed ne in una quidem aut altera disciplina inter caeteros praestare potuerint? ¿Eritne forsitan iis impedimento ipsa per typographiam parabilis librorum copia, quum plura, quam quae meditari possint, perlegere student? Non temere idcirco Pythagorae Samio, et Socrati eam fuisse causam ferunt, cur nihil scriberent; quia *nolle se*, ajebant, *scribendis sensis animi discipulos desidiae assuefacere; quippe qui monimentis litterarum confisi, minus memoriae excolendae studerent.*

¿Quotus vero quisque multis abhinc an-

nis, ne dicam saeculis, apparuit, qui aut Socratis aut Platonis, aut Stagiritae Aristotelis in philosophia; aut Demosthenis in eloquentia, aut in utraque Ciceronis nomen quasi proprium effecerit¿ Quampridem sunt paucissimi, qui in theologia non dicam cum clarissimis Ecclesiae luminibus, qui Sancti Patres jure ac merito vocitantur; sed neque cum eorum discipulorum discipulis sint rité comparandi? Et tamen multum illis operae ac laboris, cui nos parcimus, fuit prius consumendum, quam singulas possent artes combibere ac disciplinas. Nondum quippe inventa typographia, excerpendum iis ex manuscriptis, atque exscribendum erat quidquid ipsi memoriae essent postea mandaturi. Quod quidem quanti laboris sit et molestiae, quantaque in eo temporis jactura fiat, qui aliquando fuerit expertus, perpenderit, dum, quid nos inter et illos discriminis sit, anquirimus.

Quamquam hoc illis nobiscum convenit, quod plerique, sapientes videri, quam esse, malint; tamen ex illis non pauci, quum annos plurimos litteris magna cum cura et animi contentione vacassent, jam jam morituri: *tum ajebant se incipere aliquid scire*; ex nostris vero plurimi, ubi perpaucos annos scholas corpore magis quam animo frequentarunt, non unam se tantum aut alte-

ram disciplinam; sed totum complexos esse credunt scientiarum circulum, nihilque omnino ignorare, sicut in Graecia Protagoras, Gorgias, Hippias, Pródichus, Eutydémus Dionysodórus: in quos popularis noster Ludovicus Vives, cujus apud nos magni fieri debet auctoritas, ita invehebatur: *Caeca est arrogantia, et quoqumque intendit per confidentiam atque impudentiam, temere grassatur: ergo nihil dubitat quidvis súbito intrepide asseverare, etiam de arcanis rebus, et maxime recônditis. Hi incredibili se progressu in disciplinis fraudant, quum contendere supersedent, quo jam se pervenisse arbitrantur.* De ipsis etiam gravissime Seneca: *Puto*, inquit, *multos ad sapientiam potuisse pervenire, nisi jam se crederent pervenisse.*

Hinc profecto nihil est tam valde vulgare quam falcem quemque in messem non suam immittere: merum nempe mathematicum de abstrusioribus theologiae, quam ne á limine quidem salutavit, arcanis disserere, et Sacra etiam Religionis mysteria eodem, quo Matheseos figuras, circino circumscribere velle: physicum de civilibus, de medicis legulejum, medicum de republica ubique gentium administranda, alios denique de alienissimis sibi suisque studiis rebus sermonem et disputationem téxere. ¿Quid quod ut omnigenae suae scientiae fidem no-

bis faciant, auctores paene omnes antiquos virga notant censoria, atque in ipsos impune, et secura omnino mente (utpote é vivis sublatos) omnia congerunt maledicta? Eorum quoque opera primum, ut ludibrio, et despectui sint omnibus, deinde verò, ut perpetua oblivione deleantur, quam maxima possunt contentione enituntur. Ut enim quisque in eorum quemlibet maxime desaeviit, ita jucundissime de eodem credit egisse triumphum. Quin etiam de ipsorum doctrina disserere, et cum aliis alios conferre solent, perinde quasi non omnes modo; sed totos etiam perlegissent auctores; quum eorum plerosque, quos se perlegisse praedicant, famâ tantum cognoverint.

Iidem etiam ipsi, quibus summa suppetit librorum copia, non vulgarem (si superis placet) adquisituri sapientiam, satis officio facere putant, si grandia coemta volumina magnifice ostentent, nullum eorum unquam lecturi: vel si, ad summum, ut laborem, quem ab infantia semper sunt perosi, devitent, ad brevissimas confugiant artium scientiarumque epitomas, ex quibus axiomata quaedam, vel paradoxa, vel problemata excerpendo, quum disciplinarum corticem vix leviter tantum tetigerint, ad intimam earum credunt pervenisse medullam, et magnis ubique laudibus, ingentibus quoque prae-

miis onerandos se esse confidunt.

¡O stultos Socrates, stultos Platones atque Aristoteles, qui tot annos pertinaci industria, perpetuisque lucubrationibus in philosophiae studio desudastis! Ecce vobis, quam nunquam praevidistis, felix ingeniorum reparatio: adolescentes paene imberbes, paucis mensibus, et quasi per ludum, id omne assequuntur, ad quod diuturnam vos aetatem nequaquam sufficere putabatis.

Attamen utinam, iterum autem utinam his essent libris contenti, qui quantumvis breviter explanatam, sanam tamen continent disciplinam; sed (quod nunquam satis dolendum) non illa in animis nostris innata scientiae cupiditate; sed nimia pravaque curiositate compulsi, eos avide libros perquirunt, in quibus, quasi in vasis aureis, mortiferum propinatur venenum, quod ebibere properant, ut primo quoque tempore in triviis évomant, in circulis, in popínis etiam, et in caupónulis, et ubicumque erit nemo, qui antidotum sciat, et possit adhibére. Jam vero unde digressa est, revocetur oratio.

Socordia ac desidia, inquit laudatus *Vives*, *artes afflixerunt omnes, ut vel magnitudini detraherent, vel corrumperent puritatem.* Quintilianus autem: *Quod etiam admonere supervacuum fuerat, nisi ambitiosa festinatione plerique á posterioribus inciperent; et*

dum ostentare discipulos circa speciosiora malunt, compendio morarentur. ¿Quid ergo mirum, si videamus, quod ait Virgilius:

Omnia fatis
In pejus ruere, et retro sublapsa referri?

Non abs re futurum crediderim, si in studiis dirigendis, et temperandis naturam magistram sequeremur et ducem: et quem illa in producendis, maturandisque frugibus progressionis modum, eundem et nos in fingendis, edolandisque ingeniorum foetibus servaremus. Nam sicut ex parvis durisque seminibus, statutis á natura diebus, terrae humore emollitis, paullatimque explicatis, per mirabilem quamdam intimamque elaborationem culmus é terra foliis vestitus emergit, multisque post mensibus fundit frugem spicae, ordine structam, quae gradatim tandem ad tempestivam pérvenit maturitatem; sic ex parvis siccisque rudimentis, quasi disciplinarum seminibus, non quolibet, sed certo quodam, et necessario tempore paullatim explicatis, scientiae cujusvis culmus exurgit: qui multiplicibus notionibus, ideisque, quasi foliis, vestitus, in dies singulos, eo usque gradatim concrescit, dum ad spicae (scientiae scilicet) productionem et maturitatem pervénerit. Ergo qui ambitiosa festinatione á posterioribus incipiunt (quod suo Quintilianus tempore querebatur) iidem omnino vi-

dentur esse, atque agricolae, siqui statim á sparso semine, colligere spicas vellent, antequam culmus emergeret, et ad certam succresceret, ac perveniret mensuram: quod quantae sit dementiae, quisque diligenter expendat, dum ad aliud transimus progressionis exemplum.

Puer quilibet, ut salubriter nutriatur, et crescat, tantum cibi quotidie sumit, quantum ferre, sive concoquere potest; quod si ut celerius cresceret, et ad maturam maturius perveniret aetatem, ea simul cibaria uno eodemque die sumere conaretur, quae multis comedere diebus vix posset, praeterquam quod nihil proficeret, medius forsan disrumperetur; aut certe stomachus cruditate affectus, multiplicium causa esset morborum. Quod idem accidat, necesse est, iis, qui plus nimio properantes in singulis percurrendis artibus, et disciplinis, devorare potius, quam salubriter edere, sunt dicendi; quum quae multa cursim, raptimque legunt, ea attente meditari nec valent, nec volunt. Hinc profecto mentis aegrotatio, sive insanitas; hinc aegritudo, et perturbatio nascitur animorum, hinc denique tot perniciosi, et turbulenti errores et vitia, quibus mirum est, quantum cujusque ordinis et conditionis homines sese admiscuerint semper et implicarint.

At vero sunt nonnulli, inquiet aliquis,

qui tam praeceleri atque excellenti sunt ingenio, ut quod alii permultis, hi perpaucis annis percipere ac perficere possunt. Picus ille Mirandulanus, exempli gratia, cujus laus in ore omnium nunquam intermoritura durabit, ¿nonne brevi suae vitae curriculo (trium circiter et triginta annorum) id est assecutus, ut orator, et philosophus, et mathematicus, et theologus non vulgaris audiret, quum tam multa de omni fere doctrina disputaverit, et monimentis litterarum tradiderit? Assecutus est sane quod pauci. Haec tamen paucorum felicitas ad caeterorum exemplum nullo sunt modo traherda: quandoquidem rarissimi sunt, et prodigiorum instar homines, quibus datum sit, quam plurimas exiguo tempore combibere disciplinas, easdemque bene concoquere. Nihil contra tam valde vulgare, quam ab iisdem, qui falso sibi ingeniosi videntur, disciplinas, quas primoribus solent labris degustare, corrumpi ac faedari: quapropter, rei litterariae mali plus quam boni afferant, necesse est. Hinc praelaudatus Vives: *Nemo*, inquit, *expendit vires ingenii sui, quid possit ferre, quid recuset; neque est ullus tam infelicis ingenii, qui desperet, se quidvis posse assequi: ita ad ea se adjungit et tradit, quibus tam est aptus, quam vulpes aratro.* Curtius etiam in Magni Alexandri vita: *Nullum, ait, esse eundem, et diuturnum, et praecocem fruc-*

tum. Quintilianus item: *illud ingeniorum velut praecox genus non temere unquam pervenit ad frugem.* Idcirco in eodem Pico Mirandulano aliquanto amplius desiderant doctissimi quidam et emunctae naris viri, et nescio quam praécocis ingenii culpant acerbitatem. Illud certe negari non potest, naevos multos et maculas illius esse scriptis aspersas, quae hominem ostendunt in eloquentia, et elegantioribus litteris immaturum. De caeteris autem, qui praeceleri fervidoque ingenio suam illustravere adolescentiam, affirmandum videtur: nullam paene in praematuris hujusmodi fructibus degustari nec ingenii, nec judicii maturitatem. Quod ne cui obtrectandi causa dictum esse videatur, litterariae, quaeso, reipublicae annales percurrite, et viros invenientis litteratissimos, qui confirmata jam aetate, ad incudem eadem ipsa scripta revocarunt, quae juvenilibus annis nimis festinanter effuderant. Quod quidem, ut antiquiores praeteream, Bembum, Petrarcam, et Tassum, aliosque summi ingenii viros fecisse, legimus. ¿ Quid vero mirum, quum quotidie videamus, quod ait Tullius, succum non habere diuturnum quae nimis celeriter maturescunt, nec diu vigere quae praepropere et quasi ex tempore gignuntur; contra vero arbores, quae in multas sunt aetates mansurae, altioribus humo defigi radicibus, paullatim crescere,

gradatimque robur et firmitatem obtinere? Quocirca Zeuxis ille celeberrimus, in tabulis pingendis morosus, dicere erat solitus: se lente, ac pedetentim pingere, quod aeternitati pingeret: nam quae immortalitati parantur, diu multumque sunt cogitanda, nec prius de tabula ponenda est manus, quam singulae sint partes dilucidatae, atque expolitae. Horatius vero in sua ad Pisones epistola saepissime admonet, multa die multisque lituris esse castigandum, nonumque in annum premendum, quod aliorum judicio fuerit quisquam subjecturus. Virgilium denique, cujus ingenium bene limatum, et omnibus fere disciplinis excultum, septem continuos desudasse annos in Georgicorum libris, accepimus; duodecim vero in praeclarissimo et pereleganti Aeneidos carmine; quos tamen non satis esse putans ad eximiam hujus operis commedationem, ut rem informem, atque impolitam, illud in suo jussit testamento comburi.

Quod si ad nostram hanc aetatem aliquantulum accedamus, et attente cogitemus, quae et quanta superioribus saeculis plena succi monimenta litteris elegantissimis consignaverint Bellarminus, Petavius, Baronius, Alphonsus de Castro, Melchior Canus, Tomassinus, Natalis Alexander, aliique permulti, qui de re theologica acute, et nervose scripserunt, pro comperto certe habe-

bimus, ejusmodi studia non modo complurium annorum industriam; sed diuturnae etiam aetatis maturitatem redolere.

Haec igitur, auditores, paullo fusius vobis dicta volui, ut tandem aliquando intelligatis, citra sudorem, et summum perpetuumque studium vere sapientem evasisse neminem: nec quempiam posse paucis annis, ut stulte sibi plerique arrogant, ad veram doctrinae laudem pervenire. Neque enim cursorum more; sed lente, ac maturo consilio in optimis studiis festinandum. *Sat cito, si sat bene*, inquiebat sapientissimus Cato: solidiori quippe doctrinae non quidquam credebat noxium esse magis, quam nimiam in tradendis et percipiendis litteris festinationem. Neque infinita librorum copia, nec plurima ubique gymnasia, nec celeberrimi scientiarum doctores quidquam proderunt; si aut praeposteris temporibus, aut perturbato quodam ordine, aut praepropera festinatione singulae tradantur disciplinae. ¿Quid namque ad scientiae cujusque exitum, vestra intererit, celeriter pervenisse, nisi illius partes, et membra plene ac perfecte teneatis omnia, eorumque inter se nexus, et ordinem haud satis clare percipiatis? Non ergo multa simul de multis; sed multum gradatim de unaquaque arte vel scientia legendum vobis erit, atque ediscendum: qua quidem plene,

quantum licet, percepta, ad alias atque alias gradus erit faciendus; sed ita tamen, ut nugis, et supervacuis rebus neglectis, utilia tantummodo vobis persequenda esse videantur; Quippe, ut ait Cicero, sicut qui plurima comedunt, non melius valent, quam qui sumunt necessaria; ita non sapientes habendi, aut judicandi sunt, qui multa legerunt, ac didicerunt; sed qui utilia: ne quando de vobis dictum esse sentiatis, quod ait Chrysostomus: *Adolescentibus in ludo litterarum positis non tam placent solida, quam picta: quaeque potius pulchra, quam utilia sectantur; magis gaudent foliorum amoenitate conspergi, quam fructuum ubertate nutriri.*

Eodem quoque modo magnopere vobis erunt vitanda, quaecumque aut prava curiositate, aut vana subtilitate nituntur. ¿*Quid enim prodest*, quod Petrus Ravennas ajebat, *dies suos in illis expendere, quae nec domi, nec militiae, nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in Ecclesia, nec alicubi* prosunt?

Ad finem qnod attinet in studiis vobis praestituendum, animo percipite, semperque in ipso inhaereant haec D. Bernardi verba: *Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est: et sunt qui scire volunt; ut scientiam suam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus; et hic turpis quaestus est: et sunt qui scire volunt, ut sciantur*

ipsi, et turpis vanitas est: sed sunt quoque qui scire volunt, ut alios aedificent, et caritas est: et qui scire volunt, ut aedificentur ipsi, et prudentia est.

Quoniam vero inter scientiam, atque sapientiam id intererest, ut ad hanc pertineat, ut Augustinus inquit, intellectualis aeternarum; ad illam vero rationalis temporalium rerum cognitio, ex hac ad illam progrediamini oportet: nam *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ut ad veram solidamque perveniatis sapientiam, quam *non aliam esse*, ait idem Augustinus, *nisi veritatem, in qua tenetur, et cernitur Summum Bonum, quae nusquam deest, foris admonet, intus docet, dementes omnes in melius commutat, á nullo in deterius commutatur.*

Monstratum igitur á me vobis iter, studiosi adolescentes, arduum quidem, fateor, et difficile est, nec brevi tempore, ac perexiguo labore conficitur; sed vobiscum cogitate, an fieri possit, ut ad excelsa et sublimia per plana quisquam perveniat. Sit tamen vobis solatio, quod summus in studiis labor summa deinceps cum delectatione atque utilitate condiatur, et cumulatissime compensetur. Sit vobis etiam exemplo Doctor noster Angelicus D. Thomas: qui quamquam per fervidam as-

siduamque orationem coelestis thesauros sapientiae apertos sibi esse videbat; non tamen ab opere ac labore unquam cessavit, legendo, meditando, scribendo: sciens profecto, quod ait Ecclesiastes, *hanc occupationem tatam esse á Deo filiis hominum, ut occuparentur in ea.*

Ob oculos denique, ad imitandum, habeatis oportet plaeclarissimum virum, studendo, et laborando nunquam defessum, proptereaque sapientissimum, multarum Ecclesiarum Praesulem Zamorensis, scilicet, Salmanticensis, Giennensis, Palatinae, Toletanae, atque Hispalensis, quas quum apostolico suo zelo ac sapientia reparatas exornasset, Majus hoc collegium auspicato á se fundatum sapientissimis legibus communivit, Illustrissimus nempe ac Reverendissimus D. D. Didacus Deza, cujus memoria apud nos erit, grati animi ergo, sempiterna. Dixi.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm